

sic toto Aeneas desaevit in aequore victor.
 ut semel intepuit mucro. quin ecce Niphaei
 quadriugis in equos adversaque pectora tendit.
 atque illi longe gradientem et dira frementem
 ut videre, metu versi retroque ruentes
 effunduntque ducem rapiuntque ad litora currus.
 interea biiugis infert se Lucagus albis
 in medios fraterque Liger; sed frater habenis
 flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
 haud tulit Aeneas tanto fervore furentis:
 inruit adversaque ingens apparuit hasta.
 cui Liger:

'non Diomedis equos nec currum cernis Achillis
 aut Phrygiae campos: nunc belli finis et aevi
 his dabitur terris.' vesano talia late
 dicta volant Ligeri. sed non et Troius heros
 dicta parat contra: iaculum nam torquet in hostem. 585
 Lucagus ut pronus pendens in verbera telo
 admonuit biiugos, projecto dum pede laevo
 aptat se pugnae, subit oras hasta per imas
 fulgentis clipei, tum laevom perforat inguen:
 excussus curru moribundus volvitur arvis. 590
 quem pius Aeneas dictis adfatur amaris:
 'Lucage nulla tuos currus fuga segnis equorum
 prodidit aut vanae vertere ex hostibus umbrae:
 ipse rotis saliens iuga deseris.' haec ita fatus
 arripuit biiugos; frater tendebat inertis
 infelix palmas, curru delapsus eodem:
 'per te, per qui te talem genuere parentes,
 vir Troiane, sine hanc animam et miserere precantis.'
 pluribus oranti Aeneas 'haud talia dudum
 dicta dabas. morere et fratrem ne desere, frater.' 600
 tum latebras animae pectus mucrone recludit.
 talia per campos edebat funera ductor
 Dardanius, torrentis aquae vel turbinis atri
 more furens. tandem erumpunt et castra relinquont
 Ascanius puer et nequiquam obsessa iuventus.

570

575

580

585

590

595

600

605